



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CXIV. De Impugnatione Castri Bartenstein.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

## CAP. CXIV.

*De*

## Impugnatione Castri Bartenstein.

**I**N castro Bartenstein fuerunt fratres & alii armigeri ; CCCC. tempore obsidionis, fecerantque Prutheni tria (a) propugnacula in circuitu castri, in quibus continuè fuerunt MCCC. viri in armis expediti, habebant & tres machinas quibus ipsum impugnaverunt; sed antequam desolaretur præter mirifica facta plura per fratres ibidem gesta, erat quidam Vir Miligedo in dicto castro Bartenstein, qui adeò virilis fuit, quod per mortem ipsius Prutheni æstimabant se occidisse partem medium obsecorum. Unde collegerunt concilium, quomodo ipsum dolo tradiderent & occiderent, & excogitatis variis traditionum fraudibus tandem incooperunt per hunc modum. Ordinatis primò insidiis miserunt quandam virum in Armis strenuum , qui sicut Goliat agmina filiorum Israel obsecorum militiam exprobaret, clamans altâ voce dixit : si est quisquam in castro, qui audeat me aggredi in prælio singulari, ergredietur ad me foras; Quo audito Meligedo petitâ licentiâ fratum & obtentâ, egressus est, & illum fugientem sequtus est, sed dum ruptis insidiis hostes cum magnâ turbâ videret venientes , ipse occiso illo fugit ad Sylvam, & præter occultas vias ad castrum Bartenstein est reversus, his modis & aliis cum totiens tentaverunt, quod in fine ipsum decipientes occiderunt; Eodem modo quidam vir dictus Troppo totus magnanimus & fidei Zelator ab eis occisus fuit. De quorum morte facta est lætitia magna in Populo Pruthenorum & Tribulatio nimia fratribus è converso. Sed ut fratres

Dd 3

gau-

Hanno de Sangerhausen VII. Magister Gen. Ord. Teut.

Helmericus de Reichenberge VI. Mag. Prov. Prussiae.

gaudium ipsorum in luctum converterent atque dolorem, Suspenderunt in patibulo facto ante portam castri XXX. obsides Pruthenorum, quos captivos tenebant, ex quo accidit quod cum Prutheni viderent filios & consanguineos suspensos, planxerunt & ipsi similiter planctu magno.

## ANIMADVERSIO.

(a) Propugnacula dicit Dusburgius ad imitationem versionis Vulgate Bibliorum, ubi propugnacula dicuntur quæ dici debebant Machinae, ut Deut. XX. v. 20. *Si qua autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia & in ceteros apta usus, succide & instrue propugnacula, donec capies civitatem, quæ contra te dimicat.* Distinguit hic autem Dusburgius propugnacula à Machinis. Ideò per propugnacula intelligendi sunt & aggeres, vel etiam Turres bell. cæ; per machinas vero catapultæ, Balistæ & Arietes, quæ veteres Historici nostri Germanicè appellant Bleyden. Cognoscimus hoc etiam, ex duobus Chronicis M. S. S. Lubecensibus, quæ citat Heinricus Bangertus *in lib. VI. Chron. SLAV. cap. ult. pag. 405.* ubi haec habentur verba: *De Van Lübeck Makeden och Vele Pramen To Wessbenu get. Da Worpren Se Up mit Eeren Blyden.* Nominantur propugnacula hæc à nostris Scriptoribus Bergfrieden. *Vid. Animadversiones ad cap. 98.* Sveticè appellantur Blydhori & Buckhori teste Johanne Loccenio *lib. 3. antiqu. Svev-Goth. cap. II.* conferatur de his ipsis in *Poliorceticis lib. II. Dial. IV. & lib. IV. Dial. I.* Qualis apud Gothos quorum majores in Prussia nostra habitarunt fuerit urbes oppugnandi ratio, videri potest apud Procopium *lib. I. de Bello Gotorum mult. post. med. Vid. & Henricus Bangert. loc. cit.*

## CAP. CXV.

*De destructione trium Propugnaculorum,  
& occisione mille & plurium Pruthenorum.*

Post

